DE
FRAUDE PAULI MERULAE
ENNIANORUM ANNALIUM EDITORIS.

DISSERTATIO PHILOLOGICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

IN UNIVERSITATE FRIDERICIA GUILELMIA RHENANA

PRO

SUMMIS IN PHILOSOPHIA HONORIBUS

RITE CAPESSENDIS

SCRIPSIT

ET UNA CUM SENTENTIIS CONTROVERSIS

DIE XXXI. MENSIS IULII A. MDCCCLII

PUBLICE DEFENDET

IOSEPHUS LAWICKI

POSNANIENSIS.

ADVERSARII ERUNT:

CASIMIRUS KWILECKI, IURIS STUD.
IULIUS THEOBALD, PHIL. DR.
IOANNES VAHLEN, PHIL. DR. RENUNTIANDUS.

BONNAE,

FORMIS I. F. CARTHAUSII.

MDCCCLII.

VIRO · ILLUSTRISSIMO

EDUARDO · COMITI · DE · PONIŃSKI

NOMINIS · DIGNITATE · INGENII · FACULTATE . MORUM · INTEGRITATE

INTER · CIVES · CONSPICUO

DE · SE · BENE · MERITO · MERENTEQUE

D · D

IOSEPHUS LAWICKI

VENERABUNDUS.

CAPUT I.

Godofredus Hermannus in Elem. doctr. metr. p. 628. et 632. cum fragmenta Naeviana explicaret, primus P. Merulam [1]), qui in commeniario ad Ennii Annalium fragmenta [2]) praeter multa Enniana nova quoque ex obscuris quibusdam fontibus attulerat Naeviana, in suspicionem fraudis vocavit. Hac insistens via M. Hochius in libro: „De Ennianorum Annalium fragmentis a P. Merula auctis" qui Bonnae a. 1839 prodiit, duobus capitibus hanc rem tractavit: quorum quidem priore non solum ea fragmenta explicuit, quae ex dubiis illis fontibus attulit Merula, sed

---

1) Paulus Merula Guilielmi filius Dordraci V. Id. Aug. CIↃICLVIII. natus Academia Lugdunensi absoluta peregrinandi studio ductus Galliam, Italiam perlustravit et peragrata Germania in Angliam se contulit. In patriam redux factus ad forum et caussas agendas animum applicuit. Mortuo Justo Lipsio historiarum professoris munus in Academia Lugdunensi publica auctoritate suscepit a. CIↃIↃXCII. (cf. Mer. praef. ad Ennii Annalium fragmenta.). In qua XV. annis peractis valetudinis restaurandae caussa Rostocchium profectus ibique mortuus est Kal. Sext. CIↃIↃCVII. — cf. P. Merulae opera varia postuma Lugd. Bat. 1684; ubi multa et varii argumenti eius scripta enumerantur.

2) Q. Ennii Poetae cum primis censendi Annalium libb. XVIII. quae apud varios auctores supererant fragmenta: conlecta composita, inlustrata ab Paulo Merula, Lugd. Bat. 1595.

etiam ea quae aliunde erant nota, sed quae ille primus in certos Annalium libros distribuit: altero autem ea fragmenta tractavit, quae quidem apud varios scriptores exstant, sed quae sine operis indice leguntur quaeque Merula primus ad Annales retulit. At enim Hochius excepta ea disputatione, in qua in universum de dubia obscurorum illorum fontium fide disserit et quae recte se habet, totam quaestionem perperam instituit: singula enim fragmenta cum tractaret satis quidem habuit ea afferre tanquam incerta, quippe quae ex dubiis illis fontibus fluxissent: licet unumquodque non solum fraudis indicia, sed etiam idoneas caussas ei praebere debuisset, propter quas Merula id commentus esset. Quod quidem in hac quaestione maximi esse momenti im promptu est videre. Itaque Hochius cum fere ubique hac argumentatione usus sit: „ceterum versus Ennio non indigni" quaestionem hanc de fraude Merulae nondum ad finem perduxisse putandus est: id quod cum etiam Ritschelius V. Cl. saepe significasset auctor mihi inde etiam exstitit, ut totam rem de integro retractare in animum inducerem [3]).

In universum autem id tenendum est, dubitationem de singulis his fragmentis haud ita facile posse moveri propter caussas quae ad rem metricam vel ad linguam spectant: nec enim difficile est satis bonum et probabilem procudere hexametrum, paesertim si Ennium „arte rudem" fuisse persuasum habeas! Inde factum est, ut

---

3) Quaestionem hanc de fide Merulae a multis addubitata nondum esse absolutam vel inde colligi potest, quod Klussmannus „Naevii reliquiarum" editor quamvis omnino Hermanno et Hochio dubitantibus assensus sit, dubia quae attulit Merula Naevii fragmenta reiicere non ausus est.

nihil fere sit non solum licentiae, verum etiam negligentiae, quod Ennio tribui non posse videretur. Sed quae ut exempla severioris artis ab Ennio neglectae afferri solent si investigare velis, ea fere omnia e dubiis illis fontibus fluxisse invenies.

Obscuri autem fontes illi quibus usum se esse dicit Merula hi sunt: 1) Calpurnii Pisonis continentia veterum poetarum, 2) Glossaria Fornerii, 3) Servius Petri Danielis „copiosior quam qui impressus circumferebatur.“

Quod quidem ad hunc librum pertinet non est sane quod fraudis accusetur Merula, cum omnia quae ex eo attulit fragmenta revera ibi exstent. Hochius quidem eundem Servio nostro „multo copiosiorem“ fuisse sibi persuadere non potuit: sed hoc ideo factum est, quod non distinxit tempora oblitusque est P. Danielem edidisse Servium Parisiis a. 1600 atque ex hac editione nostras Burmanni et Lionis fluxisse neque quicquam aliud dicit Merula nisi copiosiorem eum fuisse omnibus editionibus, quae ante annum 1600 circumferebantur. Quod si quis ex eo, quod Merula Servio hoc non est abusus nec in fraudem vertit eius Calpurnium et Glossaria revera exstitisse contendere velit, is non firmiore nitatur argumento, quam qui ex eo, quod quis occasione oblata nihil deliquisset eius virtutem atque innocentiam demonstrare conetur.

De Calpurnio autem eiusque continentia cum nihil aliunde nobis proditum sit, Merulae verba afferre in animo est. Sunt autem haec: *„L. Calpurnius Piso nepos fuit istius Pisonis, qui cum Nerone Claudio imperante bis consulatum gessit anno ab U. IϽCCCX. Hic praeter* Ἐρωτοπαίγνιον (cf. Plin. Ep. V, 17.) *scripsit veterum poetarum continentiam.“* Sed quis tandem fuerit Piso ille Plinii haud nobis compertum est: nepotem eum

fuisse illius Pisonis, qui Neronis aetate vixisset, et praeter *Ἐρωτοπαίγνιον* istam Continentiam scripsisse coniectura tantum Merulae est neque effici potest, unde hoc cognitum habuerit. „*Haec eius, inquit, continentia (vox illa συνέχεια Graecis) Parisiis (ubi esse indicarat olim mihi Wolfgangus Zindelinus, quo Germanorum principum nomine Venetiis agente familiariter sum usus) servatur in bibliotheca S. Victoris, utinam religiosius: timeo enim illi a plagio: novi quorundam criticorum mores.*“

Nonne igitur mirum admodum videtur id ipsum, quod pertimescebat Merula, revera accidisse cum nemo mortalium codicem illum unquam vidisset! „*triduum (amplius non poteram propter subitum ex Galliis in Angliam vocante ventu discessum) eius lectioni impendi et enotavi quae in Henrici editione desiderabantur nonnulla veterum poetarum fragmenta: multa quae iam edita supplens et emendans.*“ Qua in re primum mirum est, quod nulla alia, nisi ad Annales referenda Ennii fragmenta attulit ex fontibus suis Merula. Num quia ipse in Annalibus totus versabatur et Calpurnius et Glossaria in iis potissimum versabantur? Quod si (p. 237.) Glossographum Fornerii dicit „Ennii studiosissimum“, eo magis mirandus est, quod ex aliis quoque Enni scriptis non attulerit quicquam. Quaecunque Merula ex hac veterum poetarum continentia (quae tamen et novissimorum obscurorum poetillarum versus continebat) laudavit cum tantum absit, ut ita sint comparata, ut de eius natura atque indole certi quicquam affirmare possimus, ut plerumque maximam fraudis suspicionem commoveant: ipse exaudiendus est, apud quem in Praef. p. 16. haec leguntur: „*Inscriptio erat: L. Calpurnii L. F. Pisonis V. C. de continentia veterum poetarum ad*

Trajanum Principem Lib. I. feliciter incipit: rei ut mihi visum, quam moliebatur auctor parum conveniens et nescio an ab ipso auctore. Calpurnius enim ibi erudite notabat, quae in poetis notanda, quae minus: id est digito quasi indicabat (praemissis quibus universim poetarum commendabat imitationem, nominans quosdam sui aevi poetas) libro I. Virtutes. II. Vitia: ut brevibus dicam et priore et posteriore libro committebat (quasi is illi fuisset scopus) magno iudicio inter se modo poetas veteres, modo novos: nunc novos cum veteribus: nunc hos cum illis: interdum poetas cum oratoribus: aliquando his, illis nonnunquam, saepe utrisque praetoriam illam mappam mittens: praecipue ut subodorabar ἐν τοῖς σχήματι καὶ λέξεως καὶ διανοίας, quod cuivis facile erit videre, si lucem videre contingat aliquando scriptori doctissimo et lectionis multae.

Alio loco (p. 308.) ipse pollicetur „nonnulla ex insigni suo auctore" sese editurum sine dubio ne quis alius hac de re cogitaret: quod autem promissis non stetit inde factum est, quod iis stare non potuit, quia Calpurnius fuit nullus aut propterea, quod cum vidisset fraudem suam non esse detectam, iterum periculum subire non est ausus.

Idem dicendum est de Glossariis, de quibus Merula p. 165. haec scribit: *Usus cum aliquando ab V. Cl. Guilielmo Fornerio I. C. Glossario praeter Graecum Latino: quod alterum alteri adpactum emerat ille anno 1584 a quodam Arverno iuris studioso, qui secretiorum litterarum haud erat curiosus. In hoc Graeca, in illo Latina interpretatio erat adiecta, notae satis probae, adscriptis ad rariores voces auctoribus, quibus eae in deliciis. Promiserat utrumque se melioribus animis luce*

donaturum: sed tale meditandem imo agentem mors nimis immatura praevenit.“

Unde apparet ponere sese velle eum extra omnem dubitationem et suspicionem: etenim si rerum humanarum vicissitudinibus minime repugnat quod de Calpurnio pertimescebat Merula revera accidisse: quanto verisimilius est post mortem alicuius librum quemquam periisse! Itaque ex quibuscunque libris ms. aliquid singulare affert eorundem librorum possessores sine ulla misericordia solet morti tradere veluti p. 47. ubi mentionem facit libri cuiusdam his verbis: quo me donavit eruditus iuvenis Henricus Wintgis I. C. immatura morte reip. literariae superiore anno praereptus.“ Simili modo ut approbaret Romae exstitisse non solum gentem Duiliam, sed etiam Biliam affert p. 59. inscriptionem quandam, „quam neque Martino Smetio neque Iusto Lipsio notam“ secum communicasse affirmat Petrum Scharlakium, „qui non ita pridem abiit.“

Sed sunt alia quoque fraudis indicia, quae cum constanter reperiantur maximam fraudis prbobilitatem praebent. Etenim ubicunque in aliquo discrimine ac penuria versatur Merula, fontes illi tanquam deus ex machina suppeditant ei vias ac rationes periculi effugiendi, ut quotiescunque ex eis aliquid citat, certum eius rei consilium perspici possit. Itaque ubi ex istis fontibus laudat fragmenta alibi prodita rarissime affert tota, sed tantum eorum particulas singulasve voces, quantum opus fuit aut ad probandum locum, quem eis tribuit aut coniecturam quam fecit aut argumenti sententiam quam sibi animo finxerat: ut ubi liber aut opus, ex quo aliquod fragmentum sit sumptum alibi indicata sunt aut ex argumenti ratione coniici possunt, Calpurnius et Glossaria plerumque de hac re taceant. Quapropter ne unum quidem

ex eis attulit fragmentum, quod ad incertos Annalium libros referre coactus esset. Quantopere autem quae supererant Ennii fragmenta in certos libros destribuere et historiae ratione habita componere studuerit, quo Columnae editionem superare voluit, cum eius praefatio documento esse potest, tum temeritas quacum id quod sibi proposuerat absolvit. Saepius enim suum arbitrium quam historicas rationes hac in re secutus est. — Quae autem apud nullum alium scriptorem praeter dubios istos fontes exstant fragmenta facile caussae ac rationes agnosci possunt, quibus ductus Merula singula commentus sit. Praeterea sciendum est tam miris corruptelis et de quorum probabili emendatione dubitare non liceat inquinata eum afferre, ut vix dubitari possit, quin eas ipse dedita opera in sua commenta intulerit sibique potestatem suppeditare voluerit ingeniosam coniecturam faciendi.

Atque hoc quidem in quo totius quaestionis quasi cardo vertitur tenendum est nobis, si quidem intellegere volumus caussam, qua ductus Merula fraudem illam fecerit. Iam vero inde apparet Merulam ipsum fuisse hominem quamvis in auctoribus Graecis et Latinis versatissimum ingenii mediocris et ostentationis multae, qui praeclarorum virorum veluti Scaligeri admiratione impletus eorum sese iactat familiaritate, quos multos laudavit in praefatione sua. Tot tantorumque virorum non est mirum assequi eum voluisse gloriam et famam tam eruditionis quam ingenii: id quod tamen cum ei facile contingere non potuisset, ad fraudem homini ambitioso et vanae gloriolae cupido confugiendum erat. En habeto, quae ipse dixit in Praefatione. Postquam commemoravit mortuo Iusto Lipsio „amplissimorum ordinum et magnorum virorum commendatione“ historiarum professorem sese nominatum esse: *„ab eo, inquit, tempore in*

lucem paullo ante (ne viderer frusta in foro trivisse tempus) edita a me iuris civilis praxi, nihil prius habui, quam o m n i b u s *modis Spartam mihi decretam ornare docendo et scribendo. In priore quanta sedulitate et diligentia fidem meam liberem: malo iudiciis aliorum credi, quam temere a me praedicari. Quid scribendo temporis lapsu posteritati a me sit sperandum et exspectandum loquuntur iam cum alia, tum in praesentia meus Ennius."*

At vero paullo ante in lucem prodierunt Ennii fragmenta ab Hieronymo Columna collecta [4]). Merula opus inchoatum primum neglegere se voluisse, sed consilium aliorum secutum ad finem perduxisse affirmat. Inter caussas eius rei affert, quod multa nova haberet fragmenta, quae Columnae non possent esse nota. Quae satis idonea fuit caussa opus suscepti amplius persequendi neque opus fuit consiliis aliorum: ut potius haec ipsa Columnae editio existimanda sit caussa fraudis quam commisit.

Itaque quamvis perdifficile sit in intimam naturam hominis et ingenium penetrare, in verbis ipsius invenimus quaedam, quae nobis cognoscendis illius moribus inserviant: siquidem ex scriptis alicuius mores cognosci possunt. Hac via ac ratione ducti caussas et momenta fraudis e Merulae ipsius verbis eruere conati sumus. Frustra probitatem suam obsecrat veluti cum dicat: *„Jam vero candori in intimis mei pectoris penetralibus esse sedem testantur, quae in lucem missa, quae mittuntur. Sine simulatione et fuco sententiam aperio: recte ab aliis dicta adprobo, nil aliorum mihi adtribuens. Neminem carpo:*

---

4) Q. Enni poetae vetustissimi fragmenta quae supersunt ab Hieronymo Columna conquisita, disposita et explicata ad Ioannem Filium Neapoli 1590: quae editio repetita est curante Hesselio Amstelod. 1709.

ne illos quidem, quos conviciis lacerare multo iure potui ob iniurias mihi inlatas.“ cet. Quae potius malae conscientiae secretique timoris, ne fraus illa perspiciatur documentum praestare videntur.

Quae cum ita sint mirari sane subit quemvis aequales eius ne suspicatos quidem esse fraudem. Quid quod ipse Scaliger criticorum princeps operam collocavit in emendandis illis fragmentis, quae ei Merula suppeditavit e fontibus suis! Verum enim vero quo tandem modo factum est, ut tam aperta fraus Merulae viros vel sagacissimos et doctissimos omnino fugerit eisque ut ne subolueritquidem quidquam? Hoc profecto cum ea qua vixit Merula aetas existimari nequeat fuisse fidei tam religiosae, ut tantam tamque apertam fraudem a quoquam patrari posse non facile crederet, alio modo explicari non potest, nisi ut arbitremur certo Merulam tantam apud illos viros fidem nactum esse, ut talem fraudem ne suspicari quidem possent. Neque facilius est intellectu, cur viri docti illius aetatis non collocaverint operam et studium in continentia illa Calpurnii, de qua tantas exspectationes fecit Merula, ut tanquam pro thesauro veterum scriptorum reliquiarum habenda esse videatur? Ipsum enim Merulam constat tres tantum dies huic operi impendere potuisse ideoque acquievisse in enotandis fragmentis Ennianis et nonnullis aliis. Quod quamquam mirum sane est tamen inde non sequitur illos fontes thesaurosque revera exstitisse: nec magis eo quod ea aetas fraudem Merulae non est suspicata, probatur de fide eius non esse dubitandum: praesertim cum ipse his verbis, „utinam servetur religiosius: timeo enim illi a plagio“ sese liberare voluerit ab omni suspicione aliosque viros doctos quodammodo deterrere studuerit a persequendo opere illo. Quid si illius aetatis viri docti istam Continentiam huius

uberrimi fontis exhauriendi caussa quaesiverunt: sed cum eam in illo Lucani M. S. non invenissent, nihil aliud inde coniecerunt nisi id, quod pertimescebat Merula revera accidisse? Neque quicquam aliud esse videtur, quod testatur Hermannus in Elem. doctr. metr. p. 628. asseverare Laur. Santenium in margine exempli quod possidebat idem Hermannus his verbis: Calpurnius nunc ex Lucani codice avulsus et sublatus est.“ Avulsus enim ac sublatus esse e Lucani codice putabatur, cum in eo desideraretur: inde autem quod non reperiebatur, minime sequitur olim eum cum isto codice quamvis hoc testatus sit Merula revera coniunctum fuisse.

Quae quidem argumentatio si est vera, corruit prorsus ea quaestio quam de Calpurnio nonnulli moverunt cum admodum probabile esse contenderent exstitisse quidem revera Calpurnium neque tamen plus ei fidem esse tribuendam, cum admodum probabile sit spurium fuisse opus confectumque a grammatico quodam posterioris aetatis Fulgentii Planciadis instar, qui una cum Nonio impressus circumfertur: cum potius verba Merulae in praef. quibus Fulgentii continentiam Vergilianam imitationem esse istius Calpurnii affirmat firmissimum esse debeant iudicium eum hanc ad exemplum illius commentum esse. Nec magis fructuosa est disputatio de aetate Glossariorum Fornerii, de qua ne Merula quidem prodidit quicquam: siquidem ex hoc pendere dicatur, quanta eis fides tribuenda sit.

Sed iam transeundum est ad singula: quibus quae in universum adhuc disputata sunt comprobatum iri spero. Quod quidem ita exsequar, ut primum quae e Calpurnio citavit Merula et quidem eo ordine, quo in ipsius commentario sese offerunt examinentur, deinde ea ex Glossariis et quidem ita, ut a minoribus incipiam et ad gra-

viora progrediar. Sunt autem ex his dubiis fontibus allata fragmenta aut nova aliunde ignota, aut nova quaedam cum alibi proditis coniuncta aut alibi prodita eorumve particulae quaedam, quibus aliquid novi comprobari vult Merula aut denique singulae voces ac dictiones. In omnibus certum quoddam consilium fuisse Merulae, quo permotus ea commentus sit, demonstrare conabimur.

CAPUT II.

Fragmenta qua e Calpurnio laudavit Merula.

1.

Primum quidem legitur apud Merulam in Commentario ad Enni fragmenta pag. 41 seq.:

„*L. Calpurnius Piso de Continentia veterum poetarum l. I. (quo loco de artificiosis illorum exordiis): Cn. Naevius bello Punico primo immoriturus canit ut solent illo aevo:*

Qui terrai Latiai omnones tuserunt
Viros rudesque Poenica fabor [1]).

Promittit omnia ad suam usque aetatem heroice Ennius: Horrida Romulei certamina pango duellum [2]). *Et*

---

1) Mer. emend.: Q. t. L. hemones tuserunt
Vires fraudesque Poenicas fabor.

2) Mer. legit.: Romuleûm.

Furius, Ante has res mihi Romanas scripturo Marspiter adsis, quae duobus annis gesta pollicens [3])."

Et quae alia ibi (inquit Merula) de Vergilio, Lucano et recentioribus Caninio, Octavio, Sulpicio, Sextilio: quibus etiam p. 49. addit Scantinium, Gallonium, Fabianum, Secundum et alios, de quibus omnibus sui aevi poetis Calpurnius: „Nostris, inquit, exiliora sunt initia in exiliori argumento."

Ac primum quidem si inquiramus in verba illa Calpurnii, quis est cui non mirum esse videatur, eum tot poetarum nomina eorumque carminum initia (ut consequi videtur e Merulae verbis) attulisse, quorum aliunde vix nomina tradita habemus: ut nunquam id quod praesagiebat Merula accidisse satis dolere possimus. Nec minus mirum videri potest quae affert Calpurnius fragmenta tam singularibus inquinata esse corruptelis, ut de emendationis probabilitate dubitari nequeat.

Quod autem e Calpurnio Ennianum attulit fragmentum, ex ipsa fragmenti sententia et forma spurium esse demonstrari potest. Nam omnino tumidi aliquid atque inflati huic versui inesse fateatur quisque necesse est [4]).

Et quamvis Merulae Ennius „hoc versu omnia heroice promisisse visus sit," tamen eum languere nihilque fere dicere fatendum est. Quid enim sunt Romulea

---

3) Mer. emend.: Et Furius Antias: Res mihi cet.

4) cf. Mer. p. 98 seq. qui hoc ipse fatetur, cum ubi de Ennii gloriae studio loquitur, dicat haec: „Et quis fastus in primo Annalium versu: Horrida Romuleum certamina pango duellum." Quaecunque ibii Ennii φιλαυτίαν defunsurus dixit Merula ita sunt comparata, ut versum illum confecisse suspicionem effugere nequeat: id quod etiam ex eo consequi videtur, quod versum hunc cum illo Ennii ex epitaphio: „Hic vostrum panxit maxuma facta patrum" composuit.

duella? Ne quis de bellis a Romulo gestis cogitaret aut poetam omnia Romanorum bella celebrare sibi proposuisse cogitaret, curavit Merula qui Calpurnium „Promittit omnia ad suam usque aetatem heroice Ennius“ dicentem fecit: sed quae Merula aut eius Calpurnius ad explicanda „Romulea duella“ addunt verba, ea non sunt Ennii. Tum versum hunc tanta promittentem eumdemque Annalium primum alibi laudatum non esse mirum videri potest. Sed ne a metrica quidem ratione ferri potest. Nam qui correptum *o* finale verbi pango ita excusare student, ut versum hunc spondiacum esse statuant, cum „duellum„ apud veteres semper bisyllabum fuisse satis constet[5]: eos verissima illa metrica observatio plane fugit, apud Romanos quidem versus spondiacos semper in vocem tetrasyllabam, rarius trisyllabam exire. Itaque recte iudicavit Hochius, qui ut Columna Ennium a versu illo:

Musae quae pedibus magnum pulsatis Olympum[6]

Annales incepisse statuit: quipe cum Merula nimirum Serviano illi loco („Ennius ad musas“ cet.) nisus propterea tantum hunc in modum versum illum scripsisse videatur:

. . . . Adeste

Musae quae pedibbus magnum pulsatis Olumpum

ne quis Varronis[7] de R. R. verba secutus ab eo Ennium Annalium initium fecisse putaret.

---

5) cf. Lachmannum ad Lucret. p. 112.

6) Varro L. L. VII. 20. ed. Müller. Servius ad Aen. XI. 660: „Ennius ad Musas, quae pedibus magnum pulsatis Olympum.“

7) Varro de R. R. 1, 1: „Et quoniam, ut aiunt dei facientes adiuvant prius invocabo eos: nec ut Homerus et Ennius Musas, sed XII. deos consentes.

Iam vero caussas, propter quas Merula haec fragmenta commentus sit, si quaeramus, ne ullus dubitandi sit locus ipse curavit cum p. 63. ad versum illum:

Musae quae pedibus magnnm pulsatis Olympum

haec afferat Servii ad Aen. I, 8 verba:

„Poetae in tris partes dividunt carmen suum, poponunt, invocant, narrant.“ „„Servat illa, inquit Merula, et merito poetarum apud Latinos princeps. Propositio Ennii in primo versu, qui ex Calpurnio petitus: Invocatio duplex: hic musarum ut bene credo, culte et polite: paullo post Deorum Dearumque [8]) cet.““

Quoniam igitur Merulae poetarum Latinorum principem illud Servii praeceptum servasse admodum probabile esse videbatur, Calpurnius istos Ennii, Naevii Furiique versus servaret, necesse fuit. Quoniam „nostris (verba Calpurnii apud Merulam) exiliora esse initia in exiliori argumento“ observaverat aut sibi animo finxerat Merula, ideo in graviore argumento graviora verbisque ponde-

---

8) Haec nescio an praetermittenda sint ei, qui diiudicare velit utrum suum locum habeant quattuor illi versus apud Merulam p. 2. ,,Te nunc sancta precor Venus et genetrix patri' nostri'' cet., quibus Ennium invocare deos deasque statuit: cui rei confirmandae auctor est idem Calpurnius l. I: ,,Precatur, inquit Ennius more poetarum divos et divas reip. parentes auctores, custodes, Venerem, Minervam, Mavortem et alios'' (cf. Mer. p. 105. 112 seq.): — an potius Columnae (pag. 42. ed. Hessel) sit assentiendum, qui eos ab aliquo Romano horum numinum opem implorante prolatos esse arbitratus est. Ex eis quae dixi, quid sit staduendum de illis, quae singulis nominibus propriis apud Merulam (p. 2.) constant fragmenta satis apparet neque quicquam aliud mirari possumus, nisi quod ex illo Calpurnii loco plura eiusmodi fragmenta non eruisset.

rosis fuisse initia non minus probabile esse videbatur. Tum ut comparetur Ennius cum Naevio („nam is Calpurnio, i. e. Merulae, finis“) „Naeviique tempore incultiorem fuisse Latinam Musam eamque erudiise et heroice instituisse Rudaeum nostrum poetam“ luculenter ut demonstretur, exempla erant petenda eaque e initiis eorum clarissimorum carminum petere magis erat in promptu. Itaque quid mirum versus istos prodidisse Calpurnium[9])?

Furii autem versum propterea commentus est, ut quae sibi de Furio Antiate eiusque Annalium argumento persuasisset, probaret. Qui enim a Macrobio (Saturn. VI, 4.) commemoratur Furium eundem, ad quam Cicero (Brut. c. 35.). Q. Catulum librum de consulatu et rebus gestis suis conscriptum misisse dicit, cum sibi esse persuasisset et quae apud Macrobium Annalium Furii fragmenta leguntur ad bellum cum Cimbris et Teutonibus a Mario et Catulo gestum optime referenda esse putaret ideoque duorum annorum gesta continuisse: his omnibus rebus confirmandis testimonio verteris auctoris opus fuit neque mirum est talem auctorem exstitisse Calpurnium, cum scribat: „Furium primo versu polliceri, quae duobus annis gesta.“ Qui autem in isto versu:

Res mihi Romanos scripturo Marspiter adsis Furium haec polliceri vidit, eum quaecunque voluit vidisse non miror. Reliquorum vero poetarum, quorum e Calpurnio suo laudat nomina, fragmenta potuit afferre nulla: quia Calpurnius fuit nullus; eorum partem e Plinii epistolis[10]) intulit, alteram plane finxit, ut ex verbis: „multo

9) Quae si recte disputata sunt, hos Naevianos versus amplius me non tentare nemo mirabitur. cf. Klussmann l. l. p. 37 seq.

10) cf. Mer, p. 48 seq.

incertiora apud me de Scantinio, Gallonio, Fabiano, Secundo et aliis" par est coniicere.

2.

Mer. p. 45. Calpurnius Piso l. II.: „*Cn. Sanga l. IV. de bello Punico: Inhospitalis victrix es absorbet unda Latium legiones neminum* [11])."

Citat haec Merula miris ut semper corruptelis ornata ubi nescio qua ratiocinatione permotus cognomen Sangae [12]) Cn. Naevio vindicandum sibi esse persuasit et in corrupto Nonii loco p. 110, 16. s. v. „fulgurivit fulgorem fecit vel fulmine afflavit. Naevius Sane a suo sonitu claro fulgurivit Iupiter" (ubi Hadrianus Iunius legebat: Naevius in Danaë Suo cet.) substituendum atque ita legendum: Naevius Sanga: Suo cet.

Iam vide perspicias egregiam boni viri calliditatem. Nam ne si qui hanc coniecturam improbaret, suspectam haberet Calpurnii auctoritatem, fecit eum ceteroquin auctorem in indicandis poetis eorumque carminum libris accuratissimum hoc loco minus accuratum utpote dicentem: „Cn. Sanga" neque „Cn. Naevius Sanga"; sed tamen ita, ut indicato opere eiusque libro de nullo alio nisi Naevio cogitare liceat. Est igitur coniectura qua cognomen Naevio vindicavit sed quae maximam probabilitatis speciem prae se ferre videatur. Sane hoc ipsum, quod nemo alius nisi Calpurnius hoc cognomen nobis prodidit, maxime suspectam reddere eius auctoritatem non cogitavit Merula.

---

11) Mer. legit. victrices. hemonum pro neminum.

12) Quod barbarum esse vidit Klussmannus l. l. p. 5, nihilo tamen minus versus istos Cn. Sangae, reiicere ausus est. cf. p. 65.

3.

Similis calliditatis exemplum et haec quae sequuntur esse possunt. Etenim quem e Varronis [13]) loco corruptissimo ingeniosissima Scaligeri eruit coniectura versum:

Musas quas memorant Casmenas esse . . . .

cum connexuisset cum illo

Musae quae pedibus magnum pulsatis Olympum

huic rei confirmandae Calpurnius auctor exsistere debuit. Sed qui versus a Varrone sine auctoris nomine laudatus coniectura tantum staret eundem a Calpurnio servatum esse cum suspicionem quandam movere posse perspexisset: alia ratione ac via progrediendum ei erat. Itaque L. Calpurnium l. I. disertis verbis testari dicit, „*plerosque in Camenis pingendis quarto quintove loco vocalem simplicem notasse: unum Ennium quinto duplicem. Verba subobscura.*“

Mirum sane quae diserta dixit verba eadem „subobscura“ esse: fortasse propterea ut sit eorum explicandorum occasio [14]). Quae Calpurnium dicentem fecit ita se habere ex quibus satis appareat versum istum esse Ennianum quis est quin videat? Quamquam Merula prudentior fuit quam qui hoc disertis verbis dixerit.

4.

Pag. 199 haec citat Merula e Calpurnii Continentia l. I: „*Apostrophe εὐκτική (vel Euctica sic lego pro Entica) est quotiens aversa iam ad quaevis oratione miscentur vota vel bona vel mala. Ennius in primo urbem condendam compellat et compellatae omnia quae magnitudinem eius testatura precatur his verbis:*

13) L. L. VII, 25. ed. Müller.

14) „Mens Calpurnii illa, inquit, plerosque vel Casmenas vel Camenas: solum Ennium Casmoenas vel Casmoinas scripsisse.“ cf. Mer. p. 65 seq.

Nascere quae populos terraque marique lacesses
Belli turbine praepropero concussa tremiscent
Cuncta acres a te vires . . .

et quae postea: concludens in conventa Romae genetrice:

. . . . . In Roma Troja revixti.“

Fragmentum hoc quod „primae notae“ esse et quo elegantius apud Grammaticos reperiri dicit Merula nullum etsi Ennio indignum non esse arbitratus est Hochius p. 26, minime esse Ennianum illud Merulae iudicium si quo nitatur fundamento cognoverimus demonstrabit. Ut enim tantam ei laudem tribuamus neque versuum istorum forma nec sententia cogimur: immo illud vetustatis verborumque insolentiae studium, quale est illud: „acres a te vires“ valde eos reddit suspectos. Neque minori offensioni esse debet quae est in primo istorum versuum caesura post primam quarti pedis thesin: quam propterea inusitatam, quod rhythmum amphibrachicum efficiat, quamvis apud Ovidium crebro occurrat neque a Vergilio plane sit vitata, apud Graecos certo rarissimam neque aliter usurpatam esse constat, nisi altera eius pedis thesis sit vox monosyllaba, quae cum insequenti aut praecedenti cohaereat (cf. Il. 5, 448. 11, 106.). Sed neque hoc est praetereundum, quam alter versus habet caesuram dactylicam post pedem secundum cum insequenti semiseptenaria satis esse raram: cum semiseptenariae usus post primam secundi pedis arsin incisionem poscat.

Num autem a sententia tam sunt praeclari? Sane Merula qui eiusmodi de futura Romani imperii magnitudine vaticinia cum apud Vergilium tum alios poetas Latinos (qualia affert ex Tibullo et Propertio) legisset, etiam horum palmam iis Ennium eripere voluit. Illos autem poetas cum vaticinia ista eo tempore „quo magnitudine sua laborabat Romanum imperium“ protulisse neminem

mirari posse putaret: Ennius „cuius tempore nondum ad eam pervenerat magnitudinem“ ut verus exsisteret vates, istos commentus est versus [15]).

Iam quod in illis versibus monuimus importunum vetustatis studium in verbis quoque Calpurnii inesse, etsi Merula eius stilum „elegantem et succinctum“ appellaverit in praefatione, quisque observabit. Corruptelas autem quas invenisse se memorat in Calpurnio, ubi singulas voces explicat, sicuti proprio pro praepropero, acrissate viros pro acres a te vires, ubi alios felicius divinare vult vir bonus, revisti pro revixti data opera fecisse vix suspicionem efugere potest.

5.

Pag. 253 legimus apud Merulam: Calp. Piso l. I.: „*Iteratio quam Graeci ἀναδίπλωσιν vocant si dextre collocatur magnum ornatum adfert orationi. Omnis aetas hic excellit. Non male Livius Andronicus in Odyssea: Ah vestros vestros dum hic mantatis irruet nervos (Mer. legit moeros) perduelles. Melius Ennius in Ann. III. . . . O Romule Romule dico. Optime Lucilius Satira XXVIII. de fure Callonio: Hic scurra hic carcer vix carcere dignus*“ *et quae alia ibi (addit Merula) ex Virgilio, Horatio, Calidio et aliis.*

De fragmento ex Livii Odyssea allato primus dubitavit Hermannus in Elem. D. M. p. 628, quippe qui huiusmodi

15) „Illustrarant quidem, inquit Merula (p. 199 sq.) supra modum cum Ennius auguris instar haec ecfaretur, populum Romanum a se et domi et foris cum prudenter tum fortiter gesta: sed nondum ad eam, quae Augusti tempore laboravit, pervenerat magnitudinem.“ cet.
Itaque Vergilium et alios poetas qui sub Augusto vixerunt talia vaticinatos esse non est qui miretur: sed eo magis admirandus nobis est Ennius!

sententiam nusquam in Odyssea invenerit: ego id tantum addam, quod Merula ipse nescivisse videtur, quid voluerit: cum emendato isto Livii fragmento haec dicat: „Soli ni fallor Calpurnio haec Naevii citata."

Ennii autem versus particula cum ipsum argumentum et alia fragmenta, quae e tertio laudantur libro efficiant, ad quem librum sit referenda: Calpurnius hoc loco erravit corruptamquae praebuit lectionem dico, cum Lactantium de fals. relig. I, 14, veram dic*o* praebuisse arbitraretur Merula. Neque dubitari potest, quin verissimam die proditurus esset lectionem, si Merulae Ciceronis de republica libri fuissent noti [16]).

At vero et Lucilii istum versum cum quaeri possit num revera optimum sit iterationis exemplum cur servaverit Calpurnius, facile perspici potest. Merula enim cum, cuius mentio fit in Lucilianis versibus apud Ciceronem de fin. bon. et mal. II, 8, ad Gallonium referendos alios quoque Lucilii versus, qui ex libro XXVIII. apud Non. s. vv. sumere p. 396, 5 et legere p. 332, 31 leguntur:

Omnia viscatis manibus leget, omnia sumet
Crede mihi, presse auferet omnis

sibi persuasisset et cum eis, quae in Donati commentariis in Terentium [17]) saepius non indicato libro laudatur Luciliani versus particulam hanc: . . . „carcer vix carcere dignus" coniungere voluisset: quoniam illi e Nonio petiti versus de fure facillime intelligi posse videbantur, Calpurnius harum rerum omnium auctor exstitit, qui et versus illius particulam e Donato sumptam, quae iterationis habeat quaedam vestigia, ita suppletam protulit, ut sit optimum

16) cf. Cic. de rep. l. I, p. 33. ed. Heinrich.

17) Andr. I, 2, 12. — Eunuch. III, 2, 14. — III, 3, 3. ed. Lindenbrogius, Par. 1802.

iterationis exemplum et satiram XXVIII. furemque Callonium nominavit. C a l l o n i u m autem pro G a l l o n i o dixit, ut tota haec Merulae ratiocinatio ingeniosae divinationis speciem servet aliquam.

6.

Versus Ennianos qui apud Servium in Aen. X, 396, leguntur hos:

„Oscitat in campis caput a cervice revulsum
Semianimesque micant oculi lucemque requirunt"

cum duobus aliis, quos non indicato libro citat Lactantius Placidus in Statii Thebaid. IX, 56 seq.:

„Cumque caput caderet sonitum tuba sola peregit
Et pereunte viro raucum sonus aere cucurrit"

coniungendum esse cum sibi persuasisset atque in certum Annalium librum referre voluisset: de tubicine, quem ex hoc Ennii versu, qui est apud Servium in Aen. IX, 503: „At tuba terribili sonitu taratantara dixit" evicisse et ad Albae excidium optimo iure retulisse sibi visus est, omnia haec intellegenda esse ratus haec e Calpurnio suo affert verba p. 288: „*Morti proximum quum* (*Merula legit* q u i n) *mortuum vivis coloribus depingit Ennius* l i b r o s e c u n d o A n n a l i u m, *ubi sic scribit:*

Oscitat in campis caput a cervice repulsum
Semianimesque micant oculi lucemque reqirunt
N e q u i q u a m r e l i q u a e c a r n i n i h i l e s t a n i m a i."

Tertium hunc versum, quem multas ob caussas non esse Ennianum sed ad exemplum horum Lucretianorum (III, 654 seq.):

Et caput abscissum calido viventeque trunco
Servat humi vultum vitalem oculosque patentes
D o n e c r e l i q u i a s a n i m a i r e d d i d i t o m n e s

confictum recte demonstravit Hochius p. 33 sq., cui nuper

adstipulatus est Kochius [18]) aliud fraudis indicium adnotans vocem reliquae hoc loco tribus syllabis prolatam [19]): talem qualis est cur commentus sit Merula, ista Calpurnii verba luculenter ostendunt: nimirum „ad pingendum vivis coloribus mortuum" necesse erat ut eum mortuum disertis verbis („reliquae carni nihil est animai") ostenderet poëta. Quantopere autem illi Lucretiani versus eius menti haeserint, id ipsum documento mihi esse videtur, quod ubi suis verbis, quae Ennius descripserat, interpretatur „abscissum caput" dixit: quemadmodum quae sequuntur eius verba (p. 289.): „*Iniuriam autem credo faceret Ennio, qui hos versus a praecedentibus revulsos conaretur aliis collocare*" luculentissimam praebent caussam, propter quam Calpurnium suum istos versus ex secundo Annalium laudantem fecerit. Duos autem priores versus cum esse Ennianos a Servio esset proditum Glossarium Fornerii, ex quo haec citat Merula (p. 289.): „χασμᾶ oscitat" non addit ut saepe: Ennius in II, quanquam „forte ad hoc Ennii, cuius Glossographus ille fuit studiosissimus pertinere" suspicatur Merula. — Fuit autem Ennii studiosissimus propterea tantum, quod Merula fuit Ennii studiosus.

7.

Pag. 308 seq. citat Merula haec:

Calpurnius Piso libr. II.: „Sectio duplex, simplicium et compositorum. Priorem rarissime vel nunquam mutare (Mer. emendat imitari) decet. Dandum aliquid est antiquis, non quidquid illis, hoc nobis licet. Scripsit Ennius licentia quadam toleranda ibro VI:

. . . . . telo

---

18) Exercitationes criticae in priscos poetas Romanos. Bonnae 1851. p. 2.

19) cf. Lachmann. ad Lucret. p. 305.

Transfigit corpus saxo cere comminuit brum.

Intoleranda licentia imitatur Sempronius Graius (Merula: Scribo Gracchus forte is est, cuius meminit Ovidius lib. III. de Ponto Eleg. XVI.).

Praefracte oblatam stultum est medi spernere cinam Dixit Pomponius (ex emendatione Merulae):

Lamen color tatrici mutat; lacrumis
Se salsis lavitat emta tundit dextera
Pectus; sati'st ah blanda, fallax . . .

Et fero: non fero Iulium Proculum in Elegiis

Classa sago ferinant

(*quae „monstra verborum" emendat Merula: „Claussa sagi fera nant . . .*").

Sectionum quas composita patiuntur nulla datur regula. Potius dicam cum Varrone libro III. de vita populi Romani; Plebisque scito cautum, ne qui legaret caussave mortis donaret, sopra assis mille, quam cum Ennio libr. III.

Deque totondit agros laetos atque oppida cepit.".

Et quae multa, inquit Merula, ibi apud insignem auctorem alia sequuntur.

Quae hoc loco praeter Enniana tmeseon e Calpurnio attulit Merula exempla, quorum illud Pomponianum certissimo fraudis indicio, quae est producta vocis „lacrumae" syllaba prima, cum brevem vocalem ante mutam cum liquida in veteri Latinorum poesi dramatica nunquam produci satis sit exploratum, nuper damnavit Kochius [20]), amplius me non tentare nemo mirabitur: quippe quae propterea tantum allata esse videantur, ut primum quae sibi de „vocum sectione" apud antiquos valde usitata persuasisset Merula exemplis comprobentur, tum ut

20) l. l. p. 3. cf. Ritschl Parerg. Plaut. p. 381.

ostendatur „insignem auctorem dignum certe esse, qui luce donetur."

Qua de re ne quis aliud cogitaret, prohibere voluit Merula cum scribat: *„Locum integrum quod nimis quam elegans adscribam et obiter emendabo, explicabo quum classes Poetarum edam."*

Enniani vero versus particulam[21]): „saxo cere comminuit brum" quae apud Servium in Aen. 1, 414, ubi in pluribus codicibus desunt verba: „ut in illo Ennii", certe non indicato libro et apud Donatum A. G. p. 35. Lind. sine auctoris et operis nomine legitur cum Ennio vindicare vellet: Calpurnius et versum illum supplevit et Ennium librumque sextum appellavit. Ceterum ridiculam esse huius supplementi sententiam recte iudicavit Hochius p. 50. Sic alterum illum versum, qui etiam apud Priscianum lib. IX, p. 868, ubi vetustissimos „detotondi" protulisse tradit, non indicato libro, ex quo sit petitus hunc in modum legitur:

Et detotondit agros laetos atque oppida cepit

Calpurnius ita afferens: „Deque totondit" cet. et „sectionum quas composita patiuntur" exemplo locupletavit Ennium et certum librum indicavit, in quem sit ille versus referendus.

8.

Pag. 416 seq. legimus apud Merulam haec:

„Calpurnius libr. II. (ubi de dissolutionibus): Asyndetos (ἀσυνδέτως) insigni artificio exaggerant et poetae et oratores, veteres imprimis tempestates, hostium incursiones, urbium oppugnationes, luctus et publicos et privatos et talia."

Et paullo post:

---

21) cf. Mer. p. 16. 337 seq.

„Quanta autem audita suorum clade formidine contramiserint (Merula emendat: contremuerint) Afri, quam repente imo (Merula: repentino) motu illorum animi conciderint, Ennius libro septimo dissolutiore, id est meliore describit arte quam Naevius, quod potuit qui hoc posterior fuit:

Africa terribili tremit horrida terra tumultu
Undique: multimodis consumitur anxia curis
Omnibus inde locis ingens apparet imago
Tristitias; oculosque manusque ad sidera lassas
Protendunt exsecrando duci' facta reprendunt
Poeni pervertentes omnia circumcursant.

Naevius in tertio (ut quidem mihi incorruptior):

Sis Poeni contremiscunt artibus universûm
Magni metus tumultus pectora possidet
Caesûm funera agitant: exsequias ititant
Temulentiamque tollunt festam.“

Iam vero Naevianum hoc fragmentum ita se habere suo iure dixisse Hermannum in Elem. D. M. p. 632, ut vix possit fraudis suspicionem effugere Merula, quicunque locos e quibus consutum est inspexerit fateatur necesse est. Quorum versuum quidem secundus, quem Hermannus facilius ex tragoedia aliqua sumptum crediderit, legitur apud Nonium p. 214, 9. in v. „metus masc. Naevius Magni metus tumultus pectora possidet.“
reliqui autem apud Festum in v. temetum p. 275 Lind.:

„Idem (i. e. Novius) in Funere: Agite, exite, temulentum (al. temulentiamque) tollite.“

Quod in Naevii istis versibus, e Calpurnio allatis observabat idem Hermannus „importunum vetustatis studium“ quale est caesûm pro caesorum, quis est quin etiam versibus istis Ennianis quorum primus apud Festum s. v. metonymia (p. 170. Lind.) sine operis indice et

apud Ciceronem de Orat. III, 42. Orat. 27. sine auctoris nomine legitur inesse videat? quale est Genitivus tristitias. Quanquam talia ut videtur effecerunt ut de quorum versuum dubia fide multum disputavisset Hochius p. 53 seq. eos omnino Ennii ingenio haud indignos esse iudicaret. Qui cum desiderari dixisset coniunctiones oblitus sine dubio est Merulam istis versibus „dissolutionis“ eximium exemplum proponere voluisse. Neque “succintum atque elegantem stilum“ cuius luculentum exemplum illis Calpurnii verbis proposuit Merula, ut missas faciamus illas corruptiones (contramiserint, repente imo) cum esse nequeat, quin suspectum habeat: quid sit „dissolutiore id est meliore arte“ explicare, ut fecit Hochius, in animo nobis esse non potest. Nam ut absurda explicari nequeunt. Quod si „Ennium qui Naevio fuerit posterior dissolutiore arte describere potuisse“ dixit Merula: haec est caussa, ob quam istos versus commentus sit: voluit enim ut alibi eximia, si diis placet, proponere exempla quibus comparatis luce clarius appareat quanto maior fuerit Naevio Ennius.

Aliam caussam eandemque certissimam huius commenti praebent nobis verba Merulae quae pag. 392. leguntur: „minus compertum habeo, quo modo intelligenda, si bellum hoc (i. e. punicum primum) omissum quae XIX v. 16. (indicat autem hoc editionis suae numero de quo agitur fragmentum). Depinguntur enim effecta navalis pugnae.“ Leguntur haec verba ubi refutare conatur illud Cic. Brut. c. 18: „Sit sane Ennius ut est certe perfectior, qui si illum (Naevium) ut simulat contemneret, non omnia bella persequens primum illud Punicum acerrimum reliquisset“ demonstrareque studet ex eis quae ad hoc bellum necessario sint referenda, inter quae etiam hoc de quo

agitur Ennianum fragmentum „Ciceronem non omnino dicere et conceptis verbis velle bellum hoc ab Ennio non scriptum, sed innuere non omnibus illud coloribus“ cet.

Iam cognitis huius commenti caussis amplius non morabor in inquirendis singulis versibus: uno tantum verbo monebo recte argumentatum esse Kochium p. 3, qui cum „multimodus adiectivum exstare nullum satis constet, etiamsi hoc loco „multimodis“ pro adverbio accipi possit, in eo quod Merula p. 422. Glossographum suum „multimodus πολύτροπος“ interpretantem fecisset, certissimum fraudis indicium perspexerit. Tum illud „undique“ quo versus spurii cum primo illo Enniano, qui exstat et apud Festum et apud Ciceronem coniunguntur magnopere frigescere et versum ultimum:

Poeni pervertentes omnia circumcursant

cum et a sententia sit fere ridiculus nec a metrica ratione cum nullas legitimas habeat caesuras et ab ea quae est in tertio pede caesura podica in duas pares divisus sit partes utut Ennius arte rudis fuisse statuatur – ferri posse unicuique fatendum est.

9.

Quam vero callide rem agressus sit Merula, quotiescunque e fontibus suis aliquid citat, et haec quae sequuntur Calpurnii verba documento esse possunt. Legimus enim p. 469:

„Calpurnius Piso ubi de adnominatione, quam paronomasiam dicimus: Cicero, ait, facie magis quam facetiis ridiculus. Sic Ennius: haud doctis dictis certare sed maledictis. Pacuvius . . . . me

Terit fames: pavore fama concutit

Lapit cor cura . . .

quae Merula coniungit cum eis, quae e Pacuvii Periboea apud Nonium in vv. Lapit p. 23, 7., Aetas mala

p. 1, 31., Timor et Timiditas p. 228, 17., Expedibo p. 477, 3. leguntur fragmenta:

Lapit cor cura, aerumna corpus conficit
Parum est quod te aetas male habet ni etiam hic ad malam
Aetatem adiungas cruciatum reticentia?
Ecfare quae cor tuum timiditas territat?
Mane expedibo factum mihi quod contra rogo respondeas.

Itaque neque illa Enniana, quae a Gellio N. A. XX, 9, ex octavo Annalium citantur, neque haec Pacuvii indicato libro aut opere affert Calpurnius, sed tamen ita ut illius versus (qui integer est apud Nonium in v. Lapit) allata particula facile appareat illud fragmentum e Periboea esse sumptum. Merula tropos et orationis figuras in Ennio quaerens cum et in illo Pacuvii versu:

Lapit cor cura, aerumna corpus conficit

adnominationis vestigia quaedam repperisse sibi videretur luculentius eius exemplum commentus est: quo commento etiam illam curam explicavit, quae fuit fames.

10.

Sic qui apud Ciceronem de senect. c. I. sine auctoris et operis nomine leguntur versus hos:

O Tite si quid ego adiuro curamve levasso cet.

procul dubio esse Ennianos demonstraturus, „*citat hanc vocem (sc. adiuro), inquit p. 510, ex Ennio huc procul dubio respiciens Calpurnius meus, ubi agit de combinationibus, quae Graecis credo συγκοπή. Facessant igitur qui adiuto vel adiuvero hoc loco nobis ausi sunt subiicere.*“

Itaque Calpurnius et istos versus Ennio vindicavit et lectionem „adiuro“ auctoritate sua satis approbavit.

11.

Quod apud Gellium VII, 2, „ex tertio decimo“ Annalium legitur fragmentum:

Annibal audaci cum pectore de me hortatur
Ne bellum faciam, quem credidit esse meum cor
Suasorem summum et studiosum robore belli

cum pro Merulae dispositione, qui bellum Macedonicum primum in decimo libro descriptum esse existimavit ad tertium decimum pertinere non posse videretur: „*particulam inquit eius fragmenti:* „„*d e m e h o r t a t u r*“ “ *Calpurnius (ubi de vocum sectionibus) citavit ex libro XII. rectius paullo.*“ Mer. p. 535. Quanquam et ex Gellii testimonio et Caesellii Vindicis cuius verba affert Gellius et quem sequitur Nonius p. 195, 19. s. v. c o r m a s c. liber XIII. evadit. At vero ubi p. 308 seq. harum „vocum sectionum“ e Calpurnio laudavit Enniana exempla (cf. §. 7. huius capitis) mirum esse videri potest, quod illud „de me tortatur“ non attulerit: ut etiamsi Calpurnius non fuisset omnino nullus, Merula hoc loco fraudis suspicionem effugere nequeat.

12.

Pag. 563. haec legimus apud Merulam:

Calpurnius lib. I.: „*Vehementissime apud Ennium tonat Clodius Pulcer in M. Aebutium trib. plebis, quum prohiberet triumphum quem ob res in Graecia praeclare gestas decreverat magno consensu senatus, accusans etiam Manilium. Inter alia:*

Vim tua noluntas facit imperiosa vetando
Quem Consul meruit, quum res bene gesta, triumphum.

Ex affectu haec Ennius scripsit in gratiam sui Fulvii, non ex veritate.“ — Quid hoc sibi velit intelligi nequit. Nam revera ut Livius 39, 4 sq. narrat, M. Aebutius (pro quo Merula nulla allata caussa legit M. A b u r i u m) triumphum M. Fulvio ex Aetolia redeunti a. 566. decretum prohibere studebat. Quod si ex affectu haec

non ex veritate scripsisse Ennium propterea affirmat Calpurnius, quod nusquam Clodium Pulcrum Fulvium contra M. Aebutium et M. Aemilium (sic enim legit Merula pro Manilio) defendisse proditum sit: certissimum hoc fraudis indicium est. Haec enim nimia in interpretandis Ennii versibus Calpurnii accuratio non potest non esse suspecta. Tonandi autem verbum translate positum quamvis apud poetas reperiatur: tamen cum hoc loco nimis germanicum losdonnern sapiat, valde mihi suspectum esse videtur.

Num autem quos attulit Ennii versus istam „tonantem" sapiunt vehementiam, quos inter alia ut summum eius exemplum attulisse videtur? „Noluntas" vocabulum quod cum non videret „cur usus cui tam nolo, quam volo placuerit voluntatem acceperit et noluntatem repudiaverit, primus reipublicae litterariae restituisse et publici usus Musis bene volentibus se facere" laetatur Merula latinum esse nego. Quod cum ita scriptum esse testetur ut discrimen inter *n* et *u* litteras videre nequiverit, nonne mirum esse debet, cur legerit noluntas, nec voluntas. Neque minus suspecta est breviloquentia Merulae „eleganti ac succincto" stilo propria: „cum res bene gesta." Sed ne a metrica quidem ratione ferri possunt isti versus. Etenim quam habent in tertio pede caesuram podicam rarissimam neque aliter nisi certo quodam consilio usurpatam esse constat: quippe quae versum in duas partes aequales dividat, id quod varietatis studio repugnat. Apud Homerum quidem eiusmodi caesura non invenitur nisi ita comparata, ut vix animadvertatur, sicut in illo versu: Il. 1, 42:

τίσειαν Δαναοὶ ἐμὰ δάκρυα σοῖσι βέλεσσιν

ubi ἐμὰ δάκρυα in unam quodammodo vocem coeunt. Commentus est igitur istos versus Merula, ut „noluntatem"

quam vocem diu in sinu fovebat et „ante omnes“ in carmine quodam usum se esse magnopere laetatur approbaret atque fragmenta locupletaret Enniana, quae ad Fulvium Nobiliorem poetae amicum respiciant. In qua re haud exiguam posuit curam: id quod multa fragmenta, quae ad Fulvium retulit, satis demonstrant. Quam vero caute viam aggressus sit in confingendis istis versibus, documento esse possunt eius verba, ubi vetandi vocem explicat ut tribunis solemnem et „Claudiae genti adnatum fuisse adversandi et opponendi studium malis tribunorum artibus“ adnotat.

Haec quidem sunt, quae e Calpurnii continentia attulit Merula.

CAPUT III.

Fragmenta quae e Glossariis citavit Merula.

I. Singulae voces.

1. Qui apud Nonium p. 230, 11. s. v. Vultus non indicato certo libro legitur ideoque a Columna p. 136. ed. Hessel inter incertorum librorum fragmenta est collocatus Ennii versum:

Avorsabuntur semper vos vostraque volta

Merula ad primum pertinere librum atque ad raptas virgines Sabinas referendum esse ratus haec e Glossario affert verba p. 225 seq.

„Aversari ἀποτϱέπεσθαι, ἀφοσιοῦσθαι. Ennius in primo.“ — Quamquam Glossaria ista „ad rariores voces adscripsisse testatus est Merula auctores, quibus eae in deliciis“, tamen dubitari potest, num

eiusmodi vox sit „aversandi“ verbum. An Glossographum apud quem inveniantur singulae voces auctorem indicavisse probabile est?

2. Sic quem Festus s. v. ratus habet Ennianum non indicato libro versum:

Occiduntur ubi potitur ratus Romulus praedam

cum ex argumenti ratione ad primum Annalium refferri debeat, Glossarium, ex quo p. 226. haec affert verba Merula: „Dispertio διανέμω. Ennius: Praedam dispertit“ neque librum indicat neque quicquam aliud praebet nisi quanto Merulae opus fuit ad comprabandum suum supplementum:

Occiduntur ibus potitur ratu' Romulu' praedam
Dispertit . . .

3. Sic cum versui qui in Ausonii Grammaticomastige legitur: „Ennius ut memorat replet te laetificum gau“ aliquid Ennianum inesse videret idque ad incerti libri fragmenta referre nollet: haec p. 278. e Glossario affert: „Gau, gaudium χάρμα Ennius in II.“

4. Festi (s. v. hemona) auctoritate nixus hemo, hemonis scribendum esse cum sibi persuasisset eique rei confirmandae duo Naeviana commentus esset fragmenta (Mer. p. 45 seq., cf. huius dissert. c. II, 1 et 2.) quae cum miris vocis huius corruptelis e Calpurnio laudavit, ut hanc scribendi rationem contra Prisciani p. 683. auctoritatem tueretur Glossarii recordatus haec p. 284. attulit: „Emó ἄνθρωπος (deficiente qui antiquior scribendi ritus adspiratione). In margine adscriptum erat ab imperita et recentiore manu: ἀγοράζω.“

5. Ennii versum qui non indicato libro citatur a Servio in Aen. VI, 545:

Navibus explebant sese terrasque replebant,

cum ad bellum punicum primum referre vellet, quod in libro VII. descriptum erat, e Glossario p. 424. haec citat: „Explere ἀποθάλλειν Ennius in VII."

6. In versu Enniano, qui a Prisciano l. I, p. 556. e decimo citatur Annalium libro:

Insignita fere tum milia militum octo

ut comprobaret suam vocis „insignita" explicationem haec p. 519 e Glossario attulit: „Insignitus παραγεγραμμένος εἰς τὸ σημεῖον τάγματος στρατιωτικοῦ, ὡς Ἔννιος."

7. Cum in altero horum versuum, qui apud Gellium II, 26. ex quatuordecimo Annali leguntur:

Verrunt extemplo placide mare marmore flavo
Caeruleum spumat mare conserta rate pulsum

quam prodidit Priscianus l. V. lectionem sale praetulisset, huius rei auctorem nactus est quoque Glossographum, ex quo p. 542 haec attulit: „Sale θάλαττα apud Ennium."

8. In versu Enniano, qui est apud Macrobium Sat. VI, 1.: „It eques et plausu cava concutit ungula terram" cum inter „plausum" et plosum aliquid discriminis esse ratus pro vulgari plausu scripsisset plosu: huius quoque rei auctor exstitit Glossarium, ex quo pag. 589. haec allata legimus:

„Plausus ὁ τῆς φωνῆς βόμβος κυριος (Mer. legit κυρίως). Plosus τίναγμα καὶ σύγκρουσις τῶν χειρῶν, ποδῶν ῥάμφων καὶ ἄλλων." Quod discrimen quisque videt quantopere sit nullum: nihilo tamen minus Merula occasione oblata plures auctores eis ope emendavit.

9. Ennianum versum, qui sine operis indice legitur apud Festum p. 272. Lind. . . . „alii rhetorica tongent" quemque Scaliger cum alio versu (Fest. s. v. tonsa ibid.).

Alius in mari vult magno tenere tonsam

ex Ennii Sotadico sumptum esse dixerat, cum quo est

Ennii Annales locupletandi studio permotus Annalibus vindicare vellet haec e Glossario p. 602. attulit verba: „Tongere εἴδειν Ennius in XVIII. Lucilius in XXIII."

II. Versus aliunde noti.

1. Versus Ennianos alibi nobis cum sine auctoris nomine tum sine operis indice proditos (Schol. ad Horat. Serm. I, 2, 37. Mar. Victorin. p. 2510. Putsch. Varro ap. Nonium s. v. Nutritur p. 478, 17.):

Audire est operae pretium procedere recte
Qui rem Romanam Latiumque augescere vultis

ubi Columnam aliter atque se collacasse vidit ideoque ab alio aliter collocari posse, ut ad primum librum pertinere probaret haec p. 61. e Glossario attulit miris ut semper corruptelis inquinata: „Augesco αὔξωκαμμιρον (Mer. emendat κατά μικρὸν) Ennius in primo: Quin Romanam Latinamque augescere vultis."

III. Nova fragmenta cum aliunde notis coniuncta.

1. In emendando Naevii versu, qui e Danae sumptus legitur apud Nonium s. v. Contempla p. 469, 31.:

Contemplo placide formam et faciem virginis

versatus et quae de permutatione *d* littera cum *b* sibi persuaserat comprobaturus haec p. 58. citat e Glossario: „Duellus καλὸς apud Naevium: Facies virginis duellae." Quae quidem ita se habere, ut neque plus neque minus contineant, quanto Merulae ad probandam coniecturam opus fuit, in promptu est videre. Erat autem, si diis placet, hoc loco facile coniicere: virginis duellae i. e. pulchrae.

2. Sic endo mutatum saepe esse in inde docens haec p. 192. e Glossario affert: „Endocoepta ἐγχειρήματα. Naevius Lurco, (Merula emendat: Lycurgo). Lurco, aleo, endocoepta per te temeriter face

missa tu cavesis." Huius fragmenti beneficio tria alia connexuit Mercula et quidem ita: Naevius Lycurgo:

A. Pessumorum pessume audax ganeo [lurco, aleo
Endocoepta per te temeriter face missa, tu cave
Sis] tuam contendas iram contra cum ira Liberi
Oderunt di hemones iniuriosos. B. Egon' an ille
Iniurie fecimus.

Horum versus primus legitur sine operis indice apud Festum s. v. aleonem: reliqui apud Nonium in vv. contendere p. 259, 6. et iniurie p. 124, 29. e Naevii Lycurgo ita citantur ut alterius nihil aliud nisi vox „cave" servata sit. Quae in hac Merulae dispositione uncis sunt inclusa Glossarii verba cum ita se habeant, ut nihil aliud praebeant, quam quod ad probanda ea quae voluit Merula necesse fuit, valde esse suspecta unusquisque primo oculorum obtutu videt. Ita enim sunt comparata, ut probent versum primum qui sine operis nomine legitur apud Festum esse ex Lygurco petitum ac recte cum proximo qui est apud Nonium in v. Contendere opera supplementi Merulae („Endocoepta per te temeriter face missa tu") connexum: quamobrem duo tantum habent verba quae in fine illius Festi versus et duo ex initio eius qui est apud Nonium in v. contendere, id quod plane satisfaciebat Merulae. At vero primum qui a Festo laudatur versum cum ex sententiae ratione ad comoediam aliquam referendum esse facile perspici possit ideoque cum fragmentis, quae e Lycurgo citat Nonius minime coniungendum: fraus Merulae luculentius demonstrari nequit.

3. Versum qui integer exstat apud Servium in Aen. VI, 219.: „Tarquinii corpus bona femina lavit et unxit" et apud Donatum in Terentii Hecyr. I, 2, 60. hunc in modum legitur: „Exin Tarquinium bona femina lavit et unxit" de Tarquinio mortuo intellegendum ratus haec e Glos-

sario suo p. 310. citat verba: „Tyrannus *βασιλεύς*. Ennius Annalibus (non indicato libro, quia hunc ipsius argumenti ratio efficit): . . . . . tostumque tyranni
Tarquinii corpus . . . . . .

Pro „tostum" Merula legit „postum" i. e. positum. Glossiarum id tantum continere quod comprobare voluit Merula, inde apparet, quod cum Donati verba sententiae suae repugnare videret fraudem in iis citandis commisit. Affert enim haec eius verba: „*Uxor dicitur vel ab ungendis postibus et figenda lana id est quod cum puellae nuberent maritorum postes ungebant*: *cuius rei testis Ennius*: *Exin Tarquinium bona femina lavit et unxit.*" foedeque labi contendit Donatum, qui Ennii versum trahit ad nuptiarum ritum cum pertineat ad cerimonias in funere Tarquinii servatas." At vero apud Donatum legimus haec: — „maritorum postes ungebant ibique lanam figebant: vel quod lotos maritos ipsae ungebant. cuius rei testis Ennius: Exin Tarquinium cet."

Itaque hoc ipsum, cuius rei testis a Donato dicitur Ennius quodque non necessario de funere intellegendum est cum minime quadraret ad Merulae sententiam, huic comprobandae fraudem committere coactus Glossographum auctorem nactus est [1]).

4. Quod ad Ciceronem de Or. II, 42. sine auctoris et operis nomine legitur fragmentum:

At Romanus homo tamen etsi res bene gesta'st
Corde suo trepidat . . . . .

cum esse Ennianum demonstrare vellet et ad Horatium Coclitem referendum haec e Glossario p. 327 attulit verba:

1) E. Spangenbergius Ennii Ann. Frag. Lips. 1825. p. 57. ut saepe ita et hoc loco Donatum non inspexit: immo Merulam temere sequens haec dicit: „Egregie falli Donatum in promptu est videre!"

„*Ἀπολειφθεὶς* delictus. Ennius libro III:

Corde suo trepidat delicto poplite.“

Merula emendat: delicto Coclite. Nonne suspecta esse debet explicatio vocis ἀπολειφθεὶς per latinam „delictus“, quam dubitari nequit quin debeamus nimio illi verborum insolentiae ac vetustatis studio, quo magnopere excellit Merula.

5. Pag. 369 seq. haec legimus: „*Glossar. Fornerii*: *Πυργοφόρος torridus. Ennius in V*:

Apta dato signo loca torridis elephantis
Explorant numeri . . .

Nemo non videt legendum haec et numerum restituendum: πυργυφόρος *torritus. Ennius in VI*:

Apta dato signo loca torritis elephantis
Explorant Numidae . . . .

et connectendum eadem cum iis quae apud Macrobium lib. VI, cap. I: *Explorant Numidae totam quatit ungula terram.*“

Priorem Glossarii versum cum iam mirae corruptelae reddant suspectum et praeter illam quae est in fine tertii pedis altera incisio eademque apud Romanos rarissima quae est post arsin quinti pedis cum insequenti voce tetrasyllaba quaeque propterea est inusitata, quod syllaba ultima vocis penultimae accipiat accentum: tum etiam id ipsum, quod Merula ambigere se fatetur „de fido connexu.“ Quanquam Hochius p. 49. qui omnino de fide Merulae dubitavit, mira inconstantia hoc loco ei dubitanti accedere se posse negat: Spangenbergius autem tantum abest, ut in hac Merulae dubitatione acquieverit, si eius perspicere non potuit iustam caussam, eam ut omnino studuerit reddere nullam. Ut enim difficultatem, quae est in eo, quod Numidae in Pyrrhi exercitu nón fuissent, tollat „*salva tamen res est*, inquit p. 80, *elephanti ani-*

malia Numidiae certe a Numidis singulis tractabantur!" Verum enimvero Merula commentus est istum versum propterea, ut posset in Ennio elephantum, quibus primum Pyrrhum in Italia usum esse didicerat, mentionem invenire: cui rei aptum locum illum e Macrobio petitum versum esse iudicavit, quem a Columna p. 66. ad bellum Punicum primum relatum ipse ad bellum cum Pyrrho gestum referre voluit. Sed quanquam Numidas in Pyrrhi exercitu non fuisse oblitus est, tamen „portentum esse adtribui ungulam elephanto" (cf. Plin. H. N. XI, 45.) a Scaligero admonitus, connectionem suam haud satis esse idoneam cognovit. Itaque „*ne Numidae apud Glossagraphum (apud Macrobium enim procul dubio tolerandi) nimis adrideant*" in commentum suum intulit „*numeri cum etiam sciret, quid in re militari sint numeri.*" Quibus diversis explicandi rationibus insinuatis etiamsi connectionem suam approbare non potuisset, tamen commentum suum servasse arbitratus est fidemque Glossarii haud suspectam reddidisse. Ut enim haec e Glossario et Macrobio sumpta fragmenta varia fuisse sit verisimile Glossographum suum ceteroquin auctorem accuratisstmum quod attulit fragmentum e quinto libro citantem fecit ideoque alterius illius versus, qui a Macrobio e sexto laudatur tantum particulam aliquam eandemque corruptam.

6. Versus quos Macrobius Sat. I, 4. e septimo citat:

„Qua Galli furtim noctu summa ‚arcis adorti
„Moenia concubia vigilesque repente cruentant"

cum ob Gallorum mentionem ad septimum librum (in quo bellum Punicum primum descriptum erat) referri non posse viderentur: Merula probandae suae coniecturae, qua vocem Galli mutavit in Pullum (quem L. Junium Pullum a. 504 Consulem fuisse repperit) Glossarium na-

ctus est auctorem, cuius haec sunt p. 433. verba „φόνευσις funus, caedes Ennius:

. . . multiplicant Romani funera late
Quam pullus furtim noctu“ . . .

Vocem φόνευσις quisque videt propterea per „funus“ explicatam esse, ut hoc commentum afferri posset: quod et sine libri indice citatum est, quippe qui ex allata alterius versus qui est apud Macrobium particula, sit notus neque erroribus caret, ut alter locus alterius opera emendari possit. Itaque legit Merula de expugnata Eryce, Siciliae urbe haec intellegens sic:

. . . . moltiplicant Romani funera late
Qua Pullus furtim noctu summa arcis adortus
Moenia concubia vigilesque repente cruentant,

in quibus versibus verba „qua Pullus — moenia“ pervertere constructionem nemo est quin videat: ut illud Glossarii nihil aliud nisi Merulae additamentum esse appareat. Ceterum versus a Macrobio laudati quamvis ab argumento in septimo libro locum habere non posse videantur, tamen Macrobius non est cur errasse existimetur. Potuit enim poeta his versibus quod iam descripserat bellum Gallicum respiciens comparationis instar uti. Merulam ipsum de coniectura sua etsi auctoritate Glossarii probata desperasse testantur eius verba: „*hoc lucis illudque medicinae a me his Ennii tenebris istique vulneri: alii aliud promant.*“ Sane laudabile boni viri studium cum probis iustisque rationibus non omnia assequi potiusset, in fraudem vertit.

IV. Nova, aliunde ignota fragmenta.

1. Pag. 165. legimus haec: „*Armipotens* ὁπλοκράτωρ *Ennius: Armis Conditur Alba potens. Suppirmit Glossographus librum. Petitum indubie fragmentum ex Annalium primo. Nam historia continuat* cet.

Quam hic affert caussam fragmentum hoc ad primum Annalem pertinere demonstraturus eadem est, propter quam illud commentus sit. Nimirum Ennium in his quae supererant fragmenta Albae Longae conditionem cum haud memorasse vidisset, id quod autem eum, qui res Romanas a Troiae excidio, aut a Chao repetivisset fecisse verisimile esse videbatur: nihil magis in promptu fuit, quam talem fingere versus particulam, quae nihil aliud contineat nisi quod necessarium fuit, ut exstiterit occasio uberrimi commentarii historici scribendi (Mer. p. 166—172.). At Ennium vulgarem illam de Romae Albaeque conditione narrationem nequaquam secutum esse, sed statim post Troiae excidium Romae conditionem narrasse, quippe qui Romulum Aeneae nepotem fecisset admodum probabile est (Serv. in Aen. I, 275. VI, 778.). Sed ut saepe ita etiam hoc loco duplicem e commento suo cepit usum. Nam quod sequitur fragmentum (Fest. in v. stolidus p. 250. Lind.) de suum pugnacitate cogitans ita scribendum:

Namque avide pugnare sues stolidi soliti sunt

atque ad illud albae porcae omen „triginta capitum foetus enixae“ referendum „*tanquam rationem cur dixerit poeta Albam armipotentem*“ esse voluit.

2. Pag. 324 legimus haec: „*Glossae Fornerii: παλαμναῖον dirum, quod deorum iram habet coniunctam. Ennius in tertio*:

Dirius supplicium sceleris violentia.

Lego p o s c i t *poscente sententia.*“ — Pro dubia quam cognovimus huius Glossarii fide nonne mirum est ad explicandam vocem παλαμναῖον integrum atque aliunde ignotum Ennii versum allatum esse? An vox „dirus“ fuit Ennio in deliciis? Versum hunc ad Lucretiam de vi sibi illata querentem retulisse videtur Merula, de qua plura

intellegenda esse statuit fragmenta: quippe cum admodum probabile esse videretur, poetam tam insigne factum silentio non praeteriisse. Ceterum fragmenti huius sententia parum est apta: est enim philosophantis et omnia animo secum volutantis, non querentis.

3. *Disperge hostes, distrahe, diduc, divide, differ.*

Hunc inconcinnum omnisque rhythmi plane expertem versum, quippe qui nullam habeat caesuram praeter notatam saepe podicam in fine tertii pedis quamvis eo excusandum putet Hochius p. 45, „quod Ennium artis metricae regulas non anxie curavisse statuere par sit“: Ennianus non est, quippe quem Merula p. 364 e Glossario attulerit: „*Divido διασπείρω. Ennius in V: disperge hostes, distrahe, diduc, divide, differ.*“

Confictum eum esse ad huius Luciliani exemplum (Gerl. 29, 38): „Dividant, differant, dissipent, distrahant“ recte iudicavit Kochius p. 4.

4. Pag. 551 legimus haec: „*Glossae Fornerii ἀποκτείνω Sterno. Ennius:*

Fulvius nobilis obstravit certamine cerebro
Et illos . . . . .“

Elegantissimum hoc fragmentum, sed corruptissimum dicit Merula. Sane hae ipsae corruptelae valde sunt suspectae: quanquam eas tam ingeniose emendavit, ut de emendationis probabilitate nullo modo dubitari possit:

Fulviu' Nobilior stravit certamine crebro
Aetolos . . . .

Elegantissimum hoc esse fragmentum eius auctor tantum iudicare potuit: nisi „sterno“ idem esse atque ἀποκτείνω a glossographo suo edoctus elegans esse putavit. Etenim nihil aliud continet nisi meram et sobriam belli cum Aetolis gesti mentionem, quali Merulae opus fuit: cum poetam, quem Fulvium Nobiliorem in Aetoliam se-

cum duxisse constat, non uno verbo bellum hoc memorasse, sed pugnas, certamina aliasque res singulas uberius enarrasse sit verisimile. — At vero Merulae, qui quo maiore erat studio quam plurima fragmenta ad Fulvium referendi, eo magis aegre ferebat in eis quae supererant fragmentis nullam Fulvii mentionem inveniri, isto commento opus fuit: cuius ope non solum multa fragmenta ad illum poetae amicum retulit, verum etiam occasionem nactus est de Fulviorum familia uberius disserendi (cf. p. 552 seqq.). Quidni igitur mirum, quod non solum in Calpurnio (cf. huius comment. c. II, 12.) sed etiam in Glossario novum fragmentum ad Fulvium referendum invenerit? Commentus est autem fragmentum in quo non solum Fulvii, sed etiam Aetolorum fit mentio primum ut impediret quominus aliquis Macrobii Sat. VI, 2 verbis permotus quae sunt: „*Item de Pandaro et Bitia* (ap. Vergilium Serv. in Aen. IX, 678.) *aperientibus portas locus acceptus est, ex libro quintodecimo Ennii, qui induxit Histros duos in obsidione erupisse portam et stragem de obsidente hoste fecisse*“, quaecunque e quinto decimo leguntur fragmenta ad bellum Istricum pertinere putaret; tum ut quorum prior a Prisciano VI, p. 708 e quinto decimo, ambo p. 726 e decimo septimo citantur versus hos: „Occumbunt multi letum ferroque lapique, Aut intra muros aut extra praecipe casu“ de Ambraciae expugnatione (Liv. 38, 4 sq.) intellegendos esse demonstraret.

5. Pag. 264 ubi de antiqua forma ollus agit, quam cum tot auctores tueantur mirum videri potuisset neque a Calpurnio neque a Glossario memoriae proditam esse haec e Glossario affert: „*Ollis ἐκείνοις. Pacuvius: Per ea ollis opitularier cupio*“ quae sic emendat: Pacuvius Periboea cet.

Haec quidem sunt, quae Merulae commentario diligenter perlustrato e Glossariis allata inveni.

VITA.

Natus sum Iosephus Lawicki die XIII. Iulii anni MDCCCXXVII in pago Magni Ducatus Posnaniensis, cui nomen est Lubczyna patre Antonio Lawicki, matre Antonia Stanowska quos superstites esse in summis vitae meae bonis refero. Catholicae fidei addictus primisque elementis imbutus Gymnasium Posnaniense ad Sanctam Mariam Magdalenam petii: unde octo annis post maturitatis testimonio munitus auctumno a. MDCCCXLVII hanc adii litterarum universitatem Fridericiam Guilelmiam Rhenanam. In civium academicorum numerum a rectore magnifico van Calker receptus scholis usus sum theologicis VV. RR. et Cl. Dieringeri, Flossii, Hilgersii, Scholzii; philosophicis VV. Cl. Ill. Aschbachii, Bernaysii, Brandisii, Clementis, Knoodtii, Loebellii, Monnardii, Ritschelii, Schopenii, Schmidtii, Welckeri: quorum virorum semper mihi grata erit memoria. —

THESES.

1. *Polonorum res publica tantum abest, ut fuerit ἀριστοκρατικὴ, ut δημοκρατικωτάτη habenda sit.*
2. *Errant qui consilium summi imperii in Polonia hereditate propagandi inter praecipuas patriae calamitates referant.*
3. *Apud Horatium Ep. I, 5, 25 sq. sic interpungendum est:*

   Sit qui dicta foras eliminet. Ut coëat par
   Iungaturque pari, Butram tibi Septiciumque cet.
4. *Versus quem e Parrhasio de reb. per epist. quaesitis petitum omnes Ennii editiones praebent: I, 27 ed. Spg.*

   Quos omnes Erebo perhibent et Nocte creatos

   Ennianus non est.
5. *Mutilus versus a Varrone de L. L. VII, 33 ed. Müller citatus:*

   trabes remis rostrata per altum

   Ennii est.
6. *Fragmentum Enn. Ann. XVIII, 23 ed. Spang.:*

   ubi mille rotam volvere per annos

   non est Ennianum.
7. *In critica arte praestat cum ratione errare, quam sine ratione verum invenire.*
8. *Omnes philologiae disciplinae etsi dignitate pares, tamen si ingeniorum institutionem respexeris, non pari utilitate sunt.*